

PETRVS NANNIUS LOVANIENSIS PROFESSOR.



Petrus Nannius Alcmarianus in Hollandia natus & educatus est, anno circiter 1490. hic cum ob præclaram indolē literis operam daret, post urias hinc inde academias frequentatas Louanium uenit, & omnis generis disciplinis ac linguarū studijs incubuit. in ijs etiam adeo profecit, ut linguarū cognitione illis in locis nulli secundus esset. Itaq; publicus professor Latinæ linguæ constituitur. eā pro sua eloquentia per multos annos continuauit, & ob multifariam eruditōnem sibi magnum nōmen comparauit. Ibi orationem Demosthenis de immunitate aduersus Leptinen, atq; Athenagoræ librum De resurrectione mortuorum ex Gr̄co in

Latīnum uertit. Præterea Athanasij opus, cum multis alijs Theologorum antiquissimorū monumentis, transtulit, & hoc modo rem literariam plurimum auxit. Tandem senio cōfectus Louani 1555 obiit, & honestam sepulturam impetravit. Id quod mihi Arnoldus Birckmānus doctissimus typographus Coloniensis de hoc Nanno pluribus significauit: qui etiam (pro sua humanitate) omnium illustrium virorum Belgiae, qui hodie aut superiori seculo in pretio fuerunt, ut patrię prodeßet, & meum institutum adiuuaret (quibusdam alijs viris doctis præsentibus) cum Moguntiæ esse ordine cōmunicauit, anno 1565. Id quod hoc loco lectorem uelim esse admonitum. Anon.